



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Co[n]stantia intuendo Instituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Societatem
quanti faceret.*

Quanti verò ipsam Societatem faceret admodum locus, ut coniectādum subiungam. Nunquam fere incidit eius mentio, vel vocationis, aut obedientiæ, quin sanctam Societatem, sanctam Vocationem, Obedientiam sanctam appellat. Solennis ei formula salutandi socios erat, ut in utroque homine lati agerent in hac sancta Vocatione. Apparet è susceptis protuendo instituto dimicationibus apud Dynastas; & perpetua vigilia, atq; constātia ne quid contra leges, moresq; permitteret. Cuius generis quam frequentes, quam spinosæ occurserent molestiæ, æstimare nemo potest, nisi qui B. Ignatij decreta de fundandis Collegiis, & Fundatorum ingenia norit: quæ temporibus iis difficiliora etiam tractatu erant, quod nō dum usus lucem addiderat, & viam strauerat legibus nostris: & in maioribus Colonorum sacrū angustiis perstudiosi publicæ utilitatis Magnates omnia putabant nobis cuiusq; modi munera, conditiones quaslibet subeundas. At Canisius, quanquam inexpugnabiles interdum difficultates circumuenirent, spem tamē, & animum diuina obfirmans fiducia, aiebat, Vindicanda est Instituti huius libertas: inhærendum præscriptis

*Constantia in
tuendo Insti-
tuto.*

legibus, præuertenda pericula, & incōmoda quæ
pacta illa secum afferre videntur. Potens est inte-
rim Deus facere supra quam credimus, & intelli-
gimus, præsertim sacrificiis, & precibus multorū
intercedentibus. Cùm de progressionibus Socie-
tatis, rebusq; ab ea prospere ad Dei gloriam gestis
cognoscebat, miris gaudiis implebatur, & ad re-
damandum, ac laudandum accendebat omnium
bonorum fontem ; sic vt multis deinceps
diebus residuo inde piæ dulcedinis gustu perfru-
eretur. Indixerat quondam Lainius Generalis pro
suæ administrationis, ac totius ordinis prospero
cursu singula sacerdotibus sacra, & alias sacerdo-
tij expertibus quadam portione preces. Modesta
nimis, ac restricta ea Canisio visa præscriptio : se-
ptena malebat sacra persolui, & alias preces ad eā
rationem multiplicari, vt septiformi spiritu Deus
augeret, confirmaretq; lectionem, functionemq;
Præpositi, curaturumq; se professus est in Prouin-
cia sua, vt vberior pensio esset. Seculi anno 94. cū
præter multorum opinionem Societatis conuē-
tus Generalis exitum Romæ mirè pacatum, & o-
ptatissimum habuisset, erupit in has gestientis a-
nimi voces. A Domino vtiq; factum est istud, Ro-

*Gaudium ex
Societatis pro-
spero cursu.*